



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 1. Quid sit Magna Græciæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

Annibali dediderant : hodie *Salerno*. Facta est Colonia anno 7. post bellum Annibalicum ; quando scilicet , ait Strabo, Picentini vicatim habitare compulsi sunt à Ro. Olim remota erat à mari , & in montibus qui vrbi iam imminet ; Strabo tamen à mariminimùm ait esse distitam.

PICENTIA, caput gentis Straboni , tempore Marsici belli incensa , ait Florus ; hodie rudera dicta *Vicenza*, ab indigenis indicantur prope *Euoli*.

MARCINA Etruscorum opus , à Samnitibus habitata : hodie *Veteri*. Hic suspicatur Cluverius fuisse templum Iunonis Argivæ quod Iason condidit , de quo Plinius.

Eburi , incolæ Eburini Plinio : hodie omnium suffragio *Euoli*.

## CAPVT NONVM.

*De Magna Græcia.*§. 1. *Quid sit Magna Græcia.*

MAGNA Græcia diuersimodè apud veteres scriptores sumitur , & eius varij proferuntur fines ; ac proinde antiquos reperio in quatuor opiniones distractos.

PRIMA SENTENTIA est Plinij apud quem Magna Græcia alio nomine Frons Italiæ dicitur , & complecti tres sinus Aufonij maris Tarentinum , Locrensem & Scyllaceum : videlicet Græciam sic sumptam extendit à Leucopetra Promontorio , seu Brutio *Punta della Saëta*, ad Salentinum , seu Iapygum Pro. *Capo di S. Maria di Leuca* ; quo nomine tantùm Magna Græcia , Lucaniam & Brutios videtur continere.

SECUNDA OPINIO est Ptolemæi in suâ Geographiâ lib. 3. cap. 1. vbi duabus superioribus Iapygiam videtur adiungere ; sicque nomine Magnæ Græciæ in vnum corpus venient Apulia , Lucania , & Brutij.

TERTIA sententia est Strabonis disertè adscribentis Magnæ Græciæ lib. 6. præter 3. supradictas regiones Capaniam & Siciliam ; nam primò ait hanc occupatam esse à Lucanis , Brutiis , & Campanis : Straboni quoque de Sicilia adstipulatur Liuius lib. 7. dum Græcos nominat , quos postea Siciliæ Tyrannos vocat.



QUARTA denique est eorum qui totam Italiam Magnam Græciam dixere: inter eos recensetur Athenæus lib. 12. vbi Magna Græcia definitur *πᾶσα χερδὸν ἢ τῆς τῆν Ἰταλίαν κατοικησις*: sic etiam Pompeius Festus, *Maior Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt, vel quod in eam multe magnæ ciuitates ex Græcia profectæ sunt*: quibus posterioribus verbis causa redditur quare Magna Græcia nuncupata sit.

§. 2. *De populis antiquis Magnæ Græciæ, qui iam defecere.*

TRES vulgè numerantur, *Pelasgi, Chones, & Oenotrij*: de Pelasgis suprâ diximus satis multa, de duobus postremis pauca commemoremus.

NUM. 1. *De Chonibus, & Choniâ regione.*

CHONES genere Oenotrij fuerunt, vt disertè tradit Aristoteles 7. Polit. cap. 10. quod & facit Antiochus quidam apud Strabonem, à quo Chones gens Oenotrica dicuntur. Strabo tamen eos videtur ab Oenotris distinguere, & ait Chones extendi à Lacinio Promontorio *Capo delle Colonne, Metapontum vsque Torre di Mare.*

NUM. 2. *De Oenotris.*

OENOTRVS Lyæonis filius vnus ex 22. venit in Italiam ex Arcadiâ, cum Peucetio fratre, inquit Dionys. Halic. lib. 1. Peucetius ad Prom. Iapygum appulit, eamque regionem de suo nomine nuncupauit Peucetiam. Oenotrus autem videtur reliquum occupasse vsque ad Fl. Silarum limitem Lucaniæ, & Campaniæ. Certè eorum regio dicta est Pandosia, vt tradit Strabo, & Posidonia apud Dionys. Halicar. lib. 1. vrbs Oenotrorum vocatur. Arbitror igitur Oenotros ab Iapygibus diuisos fuisse per Fl. Brandanum, per Silarum autem ab Opicis qui Campani fuere, ab Ausonibus quoque sic diuisi sunt, quorum agros Samnites & Hirpini obtinuerunt.